

pio principali debet moveri: ergo non se habet ut dispositio et habitus potentiarum in ordine ad actus suos.

LXXXII. Et confirmatur, quia potentiae animae non utuntur characterē ut virtute seu forma, qua determinatum aliquem actum eliciant: ergo non disponuntur characterē tamquam dispositione vel habitu ad aliquem actum. Antecedens probatur, nam character non est forma, quae per modum permanentis importet activitatem, ut potentia illa actuata agat; sic enim potentia cum characterē tamquam causa principalis ageret, et non ministerialiter; hoc autem est impossibile: ergo character non se habet ut habitus, aut dispositio potentiae in ordine ad actus; ordinatur ergo ad illos tamquam principium illorum modo ministeriali, et consequenter per modum potentiae.

LXXXIII. Pro majori hujus intelligentia est considerandum, quod ut dicit S. Thomas III parte, quæst. LXII, art. v, et quæst. LXIII, art. vi sacramentalis gratia ad duo ordinatur, scilicet, ad tollendum peccatum et ejus effectus, quod fit per gratiam, et ad initiandam religionem christianam, si quidem ad utrumque passio Christi est ordinata; nam de primo dicit Apostolus ad Hebræos ix: *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*: et iterum: *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, ibid. De secundo autem citat D. Thomas illud ad Ephes. v: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis*.

LXXXIV. Igitur licet per omnia sacramenta participet homo aliquem effectum sacerdotii Christi, non tamen per omnia aliquis deputatur ad agendum, vel recipiendum id, quod pertinet ad cultum sacerdotii Christi, et ita ut ad hoc depu-

tetur, necesse est ut in se configuretur sacerdotio Christi, non in his quae pertinent ad habitualement rationem gratiae aut virtutum, sed in his quae pertinent ad ea, quibus cultus christianae religionis constituitur. Religio autem consideratur et in genere moris, et in genere caeremoniarum, quibus perficitur; et primo modo pertinet ad virtutem moralem, qua bene disponitur subjectum ad colendum Deum; secundo modo non pertinet ad virtutem, sed ad ministeriale principium, quo fiunt protestationes exteriores religionis christianae per configurationem ad sacerdotium Christi; et hoc vocatur character ut effectus sacramenti.

LXXXV. Secunda ratio S. Thomae est inductiva, discurrendo per omnes species qualitatis. Character enim non est figura proprie loquendo de figura, sed solum metaphoricè; nam figura propria est quid resultans ex terminatione quantitatis, et sic non est quid spirituale. Similiter tertia species, si est passio, cito transit, character autem est indelebiliter; si vero sit passibilis qualitas, licet non cito transeat, tamen producit cum aliqua transmutatione corporali, et per alterationem; unde in tertia specie non ponuntur nisi qualitates sensibiles, et passionem seu transmutationem sensibilem facientes, ut S. Thomas dicit in iv, dist. iv, quæst. I, art. I, et in isto articulo ad secundum.

LXXXVI. Et dato quod non solae qualitates sensibiles ponantur in hac specie, tamen passibiles qualitates per se primo non dicunt ordinem ad operationem et actus per modum principii, sed vel solum habent esse termini actionis, vel solum dantur ad ornandum subjectum sine ordine ad actus; character autem primo et per se ordinatur ad aliquas operationes, seu actus mi-

nisterialiter exercendos. Nec enim solum datur ut signum moraliter deputans ad actiones aliquas, sed physice; unde per modum principii debet se habere ad illas actiones, et non per modum termini.

LXXXVII. Qualitas autem tertiae speciei, per se primo non habet rationem principii ad actiones vel operationes. In prima autem specie poni non potest, quia omne quod ponitur in prima specie, debet habere rationem convenientis vel ipsi naturae, vel in ordine ad operationem naturae. Quod vero indifferenter se habet ad rationem convenientis vel disconvenientis, non potest rationem dispositionis aut habitus habere; character autem non datur ut ornatus aut dispositio convenientis ipsi naturae; quod enim datur per modum ornatus, non versatur circa aliquam materiam, sed ab omni extrinseco abstrahendo, vel ad debitam proportionem reducitur ea ex quibus subjectum ornatur, si sit ornatus compositus; vel si sit simplex qualitas, afficit et illustrat subjectum sine ordine ad aliquam materiam, circa quam versetur.

LXXXVIII. At vero character imprimatur a Deo, ut homo exequatur aliqua pertinentia ad cultum Dei, et protestationem fidei ejus. Non ornatur etiam anima in essentia sua, sed in actionibus; nec enim est sicut corpus, cujus pulchritudo, et ornatus resultat ex dispositione partium, in substantia autem spirituali non est aliquis talis ornatus. Gratia autem ponitur in essentia animae, ut radix virtutum et operationum, dans omnibus radicalement efficaciam, non pro ornatu praecise. Ornatus etiam qui non est aliquid activum, debet esse terminus alicujus actionis, et ultimum intentum, non principium agendi; character autem, cum detur ad ministrandum in cultu divino, non datur ut terminus,

sed ut principium; non ergo ad ornandam animam praecise datur, sed ut aliquid extra animam, vel in ordine ad ea, quae sunt extra animam, exequendum respiciat.

LXXXIX. Et ita dicit S. Thomas articulo sequenti, quod character est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur ut ordinatum in aliquem finem; non ergo ut tantum ornans ipsum subjectum. Similiter non datur per modum convenientis aut disconvenientis in ordine ad operationem, quia in ea materia in qua versatur character (scilicet in cultu Dei) abstrahit a convenienti et disconvenienti, a bono et malo, debito aut indebito, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis; sive enim fiat ignoranter, sive scienter, sive religiose, sive irreligiose, si homo cum debita intentione applicatur ad utendum characterē, valide facit actus illos, et ex characterē operatur. Igitur character non inclinatur ad debitam operationem et bonam, circa materiam quam respicit (scilicet cultum Dei et religionis materiam) sed solum respicit validam operationem sacramentalem.

XC. Et confirmatur, quia per characterem homo ordinatur ut ministerialiter et instrumentaliter deserviat in his, quae pertinent ad cultum Dei; ergo non respicit materiam cultus Dei sub ratione convenientis aut disconvenientis, sed sub ratione faciendi, aut non faciendi simpliciter. Nam instrumentum solum respicit productionem effectus, ea ratione qua movetur a principali agente, non vero secundum convenientiam aut disconvenientiam, quam subjectum debet habere: ergo non debet dari per modum habitus aut dispositionis id quod datur ut instrumentaria qualitas, sed per modum potentiae. Nam quod habitus faciat digne vel indigne, non mini-

sterialiter et instrumentaliter, sed principaliter efficit. Unde et hac ratione impulsus, qui projectis imprimatur, reducitur ad rationem potentiae, quia imprimatur ut instrumentaria virtus impellens; instrumentaria autem virtus ad potentiam reducitur.

XCII. Denique ut intelligamus quomodo character ponitur in specie potentiae notandum est, quod character non proprie, sed reductive ponitur in specie potentiae, cum solum detur ad ministerialiter et instrumentaliter se habendum. Quod autem reductive ponitur in aliqua specie, non perfecte habet rationem talis speciei, sed imperfecte, et quasi imitando perfectam rationem speciei. In potentia autem duo sunt; unum est, quod sit principium actionis seu operationis, activitatem importans ad illam, si sit potentia activa; vel sustentationem, si sit passiva: aliud est, quod sit principium non activitatem importans, sed capacitatem et aptitudinem; differenter tamen ab habitu, scilicet, ut non importet determinatam rationem convenienter aut inconvenienter operandi circa objectum, circa quod versatur, sed solum importet rationem operandi indifferenter ad convenienter, aut inconvenienter.

XCIII. Character ergo non ratione primi pertinet ad potentiam, cum non habeat activitatem ex se, sed ex elevatione illi superveniente; cum enim solum instrumentaliter possit concurrere ad effectum, et instrumentum agat ex motione, et non per formam sibi impressam per modum permanentis, ideo non habet character activitatem ad effectum; neque similiter sustentationem formae alicujus, nam gratia sustentatur ab essentia animae, virtutes immediate a potentiis; alii autem characteres, licet sustentari

possint in baptismali, et in illo recipi, tamen neque hoc est certum, neque propter hoc solum datur ut potentia passiva, sed ut totus homo sacramentali modo suscipiat actiones sacramentales; quæ si conferantur subjecto non habenti characterem baptismalem, nullæ erunt ex defectu subjecti; sicut si aliquid agens intenderet producere calorem in cælo, nihil produceret.

XCIII. Redditur ergo per characterem baptismalem homo aptum subjectum ad sacramentaliter suscipiendum sacramenta, quia suscipere sacramenta, non est solum corpoream et sensibilem actionem extrinsecus applicatam suscipere quasi materialiter, sed sub ratione sacramenti formaliter, id est, non solum quatenus actio corporea est, sed quatenus sacramentum religiosum est. Et sicut ad religiose agendum influit spiritualis virtus religionis in exteriores actus (verbi gratia adorationis, sacrificii, etc.) sic ad religiose suscipiendum influit spiritualis potentia in exteriores actus suscipiendos sacramentorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XCIV. Sed objicitur primo: Character nullo modo potest esse potentia physica, sive activa, sive passiva: ergo non est ponendus in specie potentiae physicae, sed solum moralis. Antecedens probatur, nam idem omnino character baptismalis in viris est potentia susceptiva ordinis, in feminis non. Similiter idem character ordinis in simplici sacerdote non potest valide conferre sacramentum confirmationis, et tamen adjuncta dispensatione pontificis, potest: ergo non est potentia physica ad efficiendos effectus sacramentales, quia dispensatio pontificis non confert physicam poten-

tiam. Et simile est in collatione ordinum minorum, quæ potest a pontifice committi simplici sacerdoti, qui tamen ex se non poterat valide illos conferre.

XCIV. Confirmatur, nam ut aliquis sit minister aliquorum sacramentorum, non requiritur potestas physica, sed moralis: ergo ratio constitutiva ministri sacramenti non est sufficiens ut character sit in genere potentiae physicae. Antecedens probatur in ministro baptismi, et matrimonii; nam bene potest etiam is, qui nullum habet characterem, valide conferre baptismum; et ad ministrandum etiam sacramentum matrimonii non datur specialis aliqua potentia physica conjugibus, sed eo ipso quo sunt baptizati sunt capaces ministrandi sacramentum matrimonii, cum tamen character baptismalis non det potentiam activam ad ministrandum sacramenta, sed solum passivam ad suscipiendum.

XCVI. Respondetur, non esse inconveniens quod sacramenta, et sacramentales effectus dependeant ut a conditione extrinseca ab aliquo morali, sine qua valide non fiant, quia sic instituit Christus Dominus, a cujus institutione sacramenta omnino pendent; et ideo etiam id quod physice in sacramentis, aut effectibus sacramentorum exercetur, ab aliquo morali pendet; sicut nisi oleum sit benedictum ab episcopo, non potest confici sacramentum extremæ unctionis, nec confirmationis; et tamen benedictio illa nihil ponit in oleo: et similiter sacramentum extremæ unctionis, licet sit quid physicum, non tamen conferri potest nisi homini extreme ægrotanti, quia conditio illa extremæ ægrotationis ex auctoris sacramentorum institutione necessaria est. Et multæ etiam conditiones requiruntur inter contrahentes matrimo-

nium, sine quibus inhabiles sunt ad recipiendum sacramentum.

XCVII. Sic ergo, licet idem sit character baptismalis in viris et in feminis, tamen ut valide recipiatur sacramentum ordinis, requirit quod sit vir, quia hæc conditio addita est ex institutione Christi: inde tamen non conficitur quod baptismalis character non sit potentia passiva ad suscipiendos ordines, cum dependentia tamen a conditionibus, quas Christus Dominus instituit. Sic etiam in traductione peccati originalis, infectio virium inferiorum physice utitur semine, ut caro libidinose seminata corruptionem contrahat; et tamen ista physica infectio pendet ex moralitate capitis Adam, a quo ut capite morali omnes moventur in sui productione; et ita non est inconveniens quod physica traductio peccati pendeat ex morali conditione.

XCVIII. Ad id quod dicitur de confirmatione collata a simplici sacerdote respondetur, dispensationem seu commissionem pontificis ut simplex sacerdos confirmet, vel conferat minores ordines, non dare potentiam physicam ut talia sacramenta fiant, sed apponere conditionem necessariam, sine qua a tali character non fiant. De jure enim divino episcopus per characterem episcopalem potest confirmationis sacramentum conferre: sacerdos autem ex sacerdotali characterem habet potentiam, ut ex commissione supremi capitis possit illud conferre; unde talis potentia non est moralis tantum, sed physicam potentiam supponit dependentem tamen a morali conditione: quæ dependentia non est in characterem episcopali. Non repugnat autem physicam potentiam sacramentalem pendere quoad validitatem actus a conditione morali, sive commissione, sive collatione jurisdictionis, etc. sicut

sacerdos per characterem sacerdotalem habet potentiam physicam ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ; quæ tamen ut physice illud efficiat, dependet a conditione quadam morali, videlicet a collatione jurisdictionis. Si ergo hoc invenitur in ministro ordinario pœnitentiæ, quid mirum quod inveniat in ministro extraordinario confirmationis.

XCIX. Itaque character sacerdotalis habet constituere ministrum eucharistiæ et pœnitentiæ ordinarium, extraordinarium autem confirmationis, aut minorum ordinum, scilicet ex dependentia a commissione summi pontificis.

C. Ad confirmationem respondetur, sacramenta illa non requirere ad sui ministrationem specialem consecrationem; baptismum quidem ob summam ejus necessitatem, qui tamen ut ex officio conferatur, requirit characterem ordinis: matrimonium autem, quia non fit per aliquam sacram actionem, sed per contractum naturalem; et ideo specialem deputationem non requirit ad ministrationem ejus, ad susceptionem autem requirit quod contrahentes sint baptizati. Hinc tamen non fit, quod ad alia sacramenta, quæ per sacras actiones fiunt, et non sunt tantæ necessitatis, potentia physica necessaria non sit, si quidem physice Christus Dominus ad id suos designavit ministros.

CI. Secundo arguitur: Character est qualitas determinata ad bonum, non autem indifferens ad bonum et malum: ergo non est cur rejiciatur a prima specie qualitatis. Consequentia patet, quia ratio D. Thomæ rejicientis characterem a prima specie, est quia est indifferens ad bonum, et ad malum. Antecedens probatur primo, quia character est determinatus ad verum cultum Dei, secundum vera sacramenta minis-

trandum; ergo est determinatus ad bonum aliquod particulare, nam qualitates quæ determinant ad verum, habitus sunt, licet secundum rationem boni morali indifferenter illis uti possimus; sicut scientia est habitus, quo tamen bene et male quis uti potest in genere morali.

CII. Secundo probatur idem antecedens, quia character est qualitas supernaturalis participata a Deo auctore gratiæ: ergo nullo modo potest inclinare ad malum, si quidem supernaturalis qualitas, ad quam Deus speciali auxilio concurrat, non potest malum operari. Si ergo non est inclinata ad malum, semper inclinatur ad bonum, et sic non est indifferens ad bonum et malum. Tertio probatur, quia character est participatio sacerdotii Christi, et potestatis ejus, ut sequenti articulo docet S. Thomas; ergo sicut sacerdotium et potestas Christi Domini non est determinata nisi ad bonum, sic neque character ab ipso derivatus.

CIII. Confirmatur primo, nam character est potestas instrumentalis, quæ agit ut mota a Christo; ergo si indifferenter se habet ad bonum, et malum, reducenda est ista indifferencia in motionem Christi, per quam agit; et si malum operatur, id reducitur ad Christum ut principaliter moventem, quod est absurdum.

CIV. Confirmatur secundo: Ut aliqua qualitas sit determinata ad bonum, sufficit quod in propria materia bonum operetur, licet in alio genere (videlicet in genere morali) non sit determinata ad bonum; sicut patet in habitibus intellectualibus, qui sunt determinati ad bonum in propria materia (ut ars et scientia) licet in genere moris bene et male possint se habere; character autem in propria materia (scilicet, in cultu vero Dei per sacramenta tradendo

aut recipiendo) determinatus est; ergo quod fiat debite vel indebite moraliter, non tollit quin sit habitus, nec facit ipsum indifferenter in materia sua.

CV. Ad principale argumentum respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod character est determinatus ad verum cultum Dei per modum principii ministerialis, non vero per modum habitus et qualitatis determinantis. Certum enim est, quod omnis potentia et causa operationum, ad aliquod bonum determinatum est, quia debet habere pro objecto aliquod ens, et consequenter aliquod bonum; sicut visus est determinatus ad aliquod bonum, scilicet ad coloratum, quod est bonum quoddam; tamen quia determinatur ad hoc bonum per modum principii, est potentia, et non habitus.

CVI. Itaque esse determinatum ad bonum quasi objective, seu ex parte objecti, non constituit rationem habitus, quod etiam convenit potentiis; esse autem determinatum ad bonum quasi subjective, quia videlicet bonum facit habentem, et disponit subjectum convenienter aut disconvenienter, hoc constituit habitum; character autem est qualitas determinata ad bonum objectum (scilicet verum Dei cultum) non tamen secundum bonitatem et convenientiam subjecti, sed secundum rationem principii ministerialis, et instrumentalis. Utitur autem character indifferenter, non solum indifferencia morali, ut tenet se ex parte voluntatis, sed ut tenet se ex parte intellectus. Potest enim quis uti characterem, etiam hæreticus existens et malo intellectu affectus circa sacramenta; et ideo neque ex parte intellectus utitur bene vel male ratione subjecti.

CVII. Ad secundam probationem respondetur, quod character neque

inclinatur ad malum, neque ad bonum ex parte subjecti, sed se habet ad id indifferenter, sicut potentia; sed inclinatur ad bonum objectum, et ad bonam operationem per modum principii. Non enim est differentia inter habitum et potentiam, quod habitus inclinet ad bonum, potentia vero indifferenter ad bonum et malum, cum omnis potentia respiciat objectum positivum, quod debet esse bonum, sicut et ens; sed differunt, quia habitus respicit bonum aut malum determinate, etiam ex parte subjecti, quia bonum facit habentem, et importat rationem convenientis aut disconvenientis ad ipsum subjectum; et in hoc quod tenet se ex parte subjecti, potentia dicit indifferenciam, quæ solum importat ordinem ad operationem, et ad objectum tamquam principium, et non tamquam determinans subjectum secundum bonum et malum.

CVIII. Unde, ut supra dicebamus ex D. Thomæ, habitus non importat per se primo ordinem ad operationem, seu convenientiam ad subjectam; quod quia est principium operandi, debet consequenter dicere etiam ordinem ad operationem; character ergo est qualitas supernaturalis a Deo impressa, inclinans ad bonum objectum, sed non ad faciendum bonum subjectum nec in genere morali, nec in genere cognitionis; et ideo non datur per modum habitus, sed per modum potentiæ, inclinaturque ad bonum per modum potentiæ, non habitus. Adde etiam quod character est imperfecta participatio Dei auctoris supernaturalis, ideoque licet quantum est ex se inclinatur ad bonum, ex parte tamen subjecti imperfecte participantis potest indifferenter haberi ad bonum et ad malum.

CIX. Ad tertiam probationem similiter dicitur, quod character est